



**V**Valtherus ob insignem eruditionem & uita integritatem post Rupertum, anno millesimo quinto, uicesimus tertius Spirensis praesul electus fuit. eam ecclesiam magna prudentia administravit, atque reliquos suo exemplo ad uirtutes excitauit. Id cum S. Henricus Imperator intellexisset, eum plurimum amauit, atque eius Episcopatum multorum locorum accessione locupletauit. Eandem beneuolentiam Conradus quoque Caesar erga Vualtherum & eius ecclesiam ostendit. Vnde Vualtherus hac Caesarum gratia fretus, Basilicam illam Spirensis aedificauit, atque dignum diuinis officijs templum constituit. Cum etiam e-

ius tempore filius Conradi Caesaris ex arce Lempurgensi decidisset atque mortuus esset, Conradus huius episcopi consilio ex arce Lempurgensi monasterium extruxit, atque multis redditibus exornauit: simili ratione etiam S. Iohannis templum Spirae aedificatum. Ita ut locus ille sub Vualtheri administratione multo celebrior quam prius redderetur. Tandem cum per uiginti sex annos optime rebus praefuisset, moritur, & in nouo templo sepelitur. Anon. in Episcop. Spir.